

A *Neella* m. oculis distincte retrorsum vergentibus, rostro breviore, articulo secundo plerumque graciliore et breviore, praecipue autem callis pronoti majoribus, obliquis, medio postice contiguis et antice aream triangularem apicalem strictura destitutam terminantibus divergens. Ab *Eurycipitia* m. margine oculorum interiore ante marginem verticis oblique extrorsum curvato nec usque ad marginem verticis recto, vertice igitur inter oculos retrorsum latiore nec ubique aequa lato mox distinguendus.

*Caulatops cyaneipennis* n. sp. Superne capite, pronoto basique scutelli, hac angustissime, rubris vel luteis, parte apicali scutelli hemielytrisque obscure cyaneis, tenuiter griseo-pubescentibus; clypeo concolore vel nigro; antennis nigris, articulo primo latitudine verticis interoculari paullo breviore, secundo latitudini verticis oculique unici fere aequa longo, primo crassitie subaequali; rostro apicem coxarum posticarum subattingente, luteo, apice infuscato; pedibus cum coxis sordide luteis, femoribus inferne apicem versus punctis nigro-fuscis seriatis notatis, interdum omnibus apicem versus vel posticis totis fuscis, tibiis saepe basin versus late, posticis interdum totis infuscatis, tarsis articulo ultimo fusco; capite basi pronoti circiter solum  $\frac{1}{6}$  angustiore, ab antico viso transverso, vertice transversim leviter impresso, oculo fere triplo latiore, medio linea tenui longitudinali impressa, oculis fuscis, magnis, retrorsum late subpedunculatis; pronoto transverso, lateribus leviter sinuatis callis magnis, postice contiguis, disco postico subhorizontali, crebre subtiliter punctulato; hemielytris subtiliter punctulatis, sat dense pallido-pubescentibus, membrana cum areolis decolore, venis nigro-fuscis. ♀. Long.  $5\frac{1}{2}$ , lat. 2 mm.

Orizaba, m. Maji, 1883; St. Marcos, Guadalupe, 6 sp.; Cordoba, D. Fr. Knab (Mus. Nat. Wash., Mus. Helsingf.).

*Eccritotarso splendenti* Dist. similis, differt statura majore, colore pedum areolatae membranae decolore nec picea.

Obs. Hujus generis species est etiam *Eurycipitia Distanti* Reut. e Venezuela.

### *Dichroocoris* nov. gen.

Corpus ovatum, cum hemielytris sat convexum; capite basi pronoti circiter  $\frac{2}{5}$ , angustiore, a supero viso pronoto circiter  $\frac{2}{5}$  breviore, apice inter antennas obtuse rotundato, vertice aequali, lato; capite ab antico viso aequa longo ac lato, a latere viso altitudine circiter dimidio breviore, fronte perpendiculari, clypeo sat prominentia, a latere viso versus apicem paulo dilatato, basi a fronte bene discreto, ipsa basi in medio altitudinis capitidis a latere visi posita, angulo faciali recto, genis oculis aequa altis, gula sat longa, valde obliqua; oculis basi nonnihil retrorsum vergentibus, a latere visis fere reniformibus, medium laterum capitidis attingentibus, laevibus, orbita interiore parallelis, mox ante marginem verticis leviter extrorsum rotundatis; rostro coxas anticas paulo superante, articulo primo basin capitidis attingente, secundo versus apicem sat dilatato, duobus ultimis gracilioribus, simul sumtis secundo distincte longioribus; antennis mox infra tertiam apicalem partem marginis interioris oculorum insertis, articulo primo gracili (reliqui desunt); pronoto latitudine postica circiter  $\frac{1}{3}$  breviore, lateribus ante apicem sinuatis, apice quam basi circiter dimidio angustiore, callis transversis, in marginem lateralem extensis, tertiam apicalem partem longitudinis pronoti vix superantibus, medio anguste distantibus, limbo ante callos stricturam medio non nisi omnium obsoletissime discretam formante, disco pone callos fortiter convexo, versus apicem fortiter declivi, utrinque ad angulos basales depresso; scutello impressione magna triangulari